

Meum est propositum ad tabernam ire  
ubi sonant tympana, ubi sonant lyrae  
Nullum decet vacuum tabernam transire  
nisi prius debeat scyphum deglutire

Poculis accenditur animi lucerna  
cor imbutum nectare volat ad superna  
Mihi sapit dulcius vinum de taberna  
uam, quod aqua miscuit praesulis pincerna

Unicuique proprium dat natura munus  
ego numquam potui scribere ieiunus,  
me ieiunum vincere posset puer unus  
sitim et ieiunum odi tamquam funus

Unicuique proprium dat natura domum  
ego versus faciens bibo vinum bonum  
et quod habent purius dolia cauponum  
tale vinum generat copiat sermonum.

Tales versus facio, quale vinum bibo  
nihil possum facere nisi sumpto cibo  
nihil valent penitus, quae ieiunus scribo  
Nasonem post calicem carmine praeibo

Mihi nunquam spiritus poëtrae datur  
nisi prius fuerit venter bene satur  
cum in arce cerebi Bacchus domiatur  
in me Phoebus irruit et miranda fatur.

Meum est propositum in taberna mori  
vinum sit apositum morientis ori  
tunc cantabunt letius angelorum cori  
Deus sit propitius huic potatori